

Tales igitur inter viros amicitia tantas opportuni- 22
tates habet quantas vix queo dicere. Principio qui
5 potest esse vita vitalis, ut ait Ennius, quae non in
amici mutua benevolentia conquiescit? Quid dulcius
quam habere quicum omnia audeas sic loqui ut
tecum? Qui esset tantus fructus in prosperis rebus
nisi haberes qui illis aequae ac tu ipse gauderet?
10 Adversas vero ferre difficile esset sine eo qui illas
gravius etiam quam tu ferret. Denique ceterae res
quae expetuntur opportunae sunt singulae rebus
fere singulis: divitiae ut utare, opes ut colare, honores
ut laudare, voluptates ut gaudeas, valetudo ut dolore
15 careas et muneribus fungare corporis. Amicitia res
plurimas continet, quoquo te verteris praesto est,
nullo loco excluditur, numquam intempestiva, num-
quam molesta est. Itaque non aqua, non igni, ut
aiunt, locis pluribus utimur quam amicitia (neque
20 ego nunc de vulgari aut de mediocri, quae tamen
ipsa et delectat et prodest, sed de vera et perfecta
loquor, qualis eorum qui pauci nominantur fuit);
nam et secundas res splendidiores facit amicitia, et
adversas partiens communicansque leviores.

25 [VII] Cumque plurimas et maximas commoditates 23
amicitia continet, tum illa nimirum praestat omni-
bus, quod bona spe praelucet in posterum, nec debil-
itari animos aut cadere patitur. Verum enim amicum
qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur
30 sui. Quocirca et absentes adsunt, et egentes abun-

dant, et imbecilli valent, et quod difficilius dictu est,
mortui vivunt: tantus eos honos, memoria, desider-
ium prosequitur amicorum, ex quo illorum beata
mors videtur, horum vita laudabilis. Quod si exem-
meris ex rerum natura benevolentiae iunctionem, 5
nec domus ulla nec urbs stare poterit, nec agri qui-
dem cultus permanebit. Id si minus intellegitur,
quanta vis amicitiae concordiaeque sit, ex dissensio-
nibus atque discordiis percipi potest. Quae enim
domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae 10
non odiis et discidiis funditus possit everti? Ex quo
24 quantum boni sit in amicitia iudicari potest. Agri-
gentinum quidem doctum quendam virum carmini-
bus Graecis vaticinatum ferunt, quae in rerum
natura totoque mundo constarent quaeque moveren- 15
tur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam.